FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

61

F. E. BRVCKMANNI, M. D.

EPISTOLA ITINERARIA LXI.

SISTENS

MEMORABILIA
TYRNAVIENSIA

AD

REVERENDISSIMVM, CLARISSIMVM
ATQVE ERVDITISSIMVM
DOMINVM,

DOMINVM
FRIDERIC. CHRISTIANVM
LESSER,

VERBI DIVINI ET EVANGELICI
MINISTRVM NORTHVSANVM AD MON-
TEM MARIÆ VIRGINIS IN NEOSTA-
DIO BENE ANIMATVM ET
VIGILANTISSIMVM,

NEC NON

ORPHANOTROPHII EIVSDEM VRBIS ADMINISTRATOREM
GRAVISSIMVM,

AMICVM FIDVM COLENDISSIMVM.

CVM FIGVR. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.

Digitized by Google

VIR PLVRIMVM REVERENDE ATQVE DOCTISSIME,
AMICE MAXIME COLENDE!

POſonii, quam urbem in Epiſt. Itin. XLVIII. breviter delineavimus, cultus veſtitusque Hungaricus, de quo pauca *Tibi*, *Vir Præſtantiſſime*, antequam pedes ulterius promovemus, dicenda, incipit. Sunt Hungari, quod ad corporis tegumenta, plus ſat magnifici. Sexus ſequioris & virginum veſtimenta primo loco recenſenda. Pedes flavis, rubris & nigris ocreis, quæ genua contingunt, teguntur. Has major pars pedibus, ſine tibialibus ſubſtratis, inducit. Induunt ſibi veſtes tempore hyemali membranis piloſis, interdum admodum pretioſis, munitas, acu pictas, ſericas, holoſericas, polymitas, bombycinas, panneas, auro & argento affluenter & affabre ſparſas, pro ordine nempe nobilitatis & dignitatis. Pelliceum molle hirſutum ſub unica veſte

interdum plus quam CC. CCC. valet thaleros. Temporibus anni incaleſcentibus in ventre medio thoracem ex coſta ſartoria (Miederchen, Schnürleib) in mammis & pectore faſcia pectorali devincitum, tantum habent. Brachia ſolum induſio ex linteo tenui, vel ex ſubtilioribus urticæ filis, Neſſeltuch, vel panno Cammertuch dicto, confecto, cum cantis optimæ notæ finiſſimis tegunt. Perſonæ hujus ſexus civiles in brachiis ſuper indutium dictum faſciam ſericam, variis coloribus tinctam, ſub cubito firmatam habent; nobiles vero dictam poſt ulnam revinciunt. Ex hoc illigamento ſtatim perſona nobili de ſtemmate nata a civili ſolo adſpectu & in tranſitu a ſe invicem dijudicanda. Virginum cohors nudo incedit capite, capillitium crebro frigida lavat, quo limate & arctius, fronte explicata & exporrecta, ad caput recumbat. Velatum fœminis maritatis eſt caput, inquit Tollius in Epiſt. Itinerar. p. 148. quod virginibus tectum non eſt, ſed nudum capillitium, idque circulo quodam, duos digitos lato, & coralliis plerumque, in ditioribus autem, margaritis diſtincto deſuper revinctum. Tempore ſolſtitiali coronis ex floribus multicoloribus & herbis ſuaveolentibus conſutis frontes & capita redimunt, hyemali vero tantum ex margaritis ceratis. Primariæ & perilluſtres mulierculæ coronamenta iſta, ex lapillis erythræis Orientalibus & gemmis caris & rarioribus confecta, in capite portant, quibus interdum & plures pretioſas acus tremulas, Zitter-Nadeln, dictas, circa tempora addunt. Sic ſæpe unica Comtiſſa vel perſona illuſtri & nobili proſapia nata ornatum gemmeum ſcintillantem, aliquot millia ſolidorum argenteorum valentem, in ſyncipite non ſine oſtentatione gerit. Torques ex auro obryzo fabricatæ multis adhuc in uſu ſunt, ſepiunt partim iſtis cinnorum fimbrias,

geſtant

Digitized by Google

geſtant & partim dictas in collo & manuum carpis; partim ilis abdomen circumvinciunt; partim mammillarum receptacula, **Mieder** vulgo nominata, iſtis interſtringunt. Quibusdam in locis, quod præcipue in opidulo Silein vidimus, usque ad duodecim margaritarum lineæ, ex quibus infima linea ferme ex proxime mammillas attingit, cum una ſemper parum altera demiſſior ſuſpenſa hæreat, in collo non vulgari ſunt ornamento. Omnes & ſingulæ ſequioris ſexus perſonæ, nec puellis paganis hirſutis exceptis, mammillarum receptaculo ſeu thorace, **Mieder, Schnürleib,** ſe induunt, hoc promontoria iſta bina ſororiantia bonæ ſpei dicta ſic non raro deprimunt, ut in nonnullis, ut nobis ab aliis relatum, in regione umbilicali ſint quærenda.

Ad habitum virilem quod attinet, mares induſia admodum brevia habent, attingunt tantum caligas, ſpatioſis & amplis cum manicis, harumque fimbriis denticulis patagiis, **Spitzen oder Canten,** ornatis, in modum induſiorum iſtorum, qualia in Germania matronæ ſibi inducere ſolent. Caligas portant usque ad pedum taleolos promiſſas, ſub quibus vero nullo non tempore ſubligacula linea, **Schlaff-Hoſen,** cum induſia admodum conciſa ſint, habent. Temporibus & æſtivalibus & hyemalibus ocreas ex corio flavo, rubro, cœruleo & nigro, cum ferreis partibus poſterioribus, **eiſern Abſätzen,** confectas, absque tibialibus, cum caligæ iſtis ſimul loco tibialium inſervire ſoleant, in quotidianum trahunt uſum. Subucula, Camiſol dicta, perbrevis eſt, hanc multiplicato & craſſiori illigamento, ex pilis camelinis vel filis duplicatis ſericis confecto, cujus ſæpe unicum exemplar ad 10. thaleror. ſummam attingit, circa copora in medio

 nodis

nodis muniunt. Hæc ſubucula in parte anteriori, item & inferiori circa marginem corio lævigato flavo, rubro, cœruleo & nigro, loco panni ſubdititii, ſubducitur, quod peculiares habet uſus, nam primo durabile juxta ac purum & mundum eſt, & ultimo ad meliorem habitus ſitum in corpore certe multum contribuit. Super ſubuculas, mediis Aquilonibus frigidis, tunicas cum animalium pellibus, muſtelæ nempe Scythicæ, ovis, urſi, vulpis, &c. geſtant. Enſes portant falcatos & proceros, interdum a tergo humi repentes. Nobilium acinaces coruſci ac fulgidi argento ſunt cruſtati. Capita mitræ utplurim. circumdant, quidam tamen Hungari his noſtris temporibus, inprim. æſtivis, & pileos melioris commoditatis ergo, oris & aureis & argenteis in iſtis ornatis, capillis ſuis imponere incipiunt. Integrum habitum nobilis cujusdam Hungari in ære vid. apud polyhiſtor. celeberrim. Matth. Belium, in prodrom. Hiſt. Hung. Nov. Antiqu. Plebani, quod ad majorem partem, violacei coloris tunicas gerunt prælongas, quas in abdomine faſcia firmiter ligant. Verbi divini & evangelici miniſtri ornatum in Germania uſitatum habent.

Poſonio relicto via duxit, duobus itineris milliaribus emenſis, per oppidulum cum caſtello *St. Georgii*, *St. Jürgen*, ob nobilium vitium culturam notiſſimum. Vinum paſſum, **St. Georger Ausbruch** dictum, quod ab hoc loco cognomen accepit, eſt potus certe ſuaviſſimus & ſpirituoſiſſimus. Uvas in ſolidum maturas per certum temporis ſpatium, uti in Italia & Volturena facere ſolent, marceſcere ſinunt, has flaccidas leniter tantum premunt & muſtum profluens ſeparatim in vaſis aſſervant, quod peculiaris gratiæ & ſuavitatis potus ſit, quique etiam

ob

Digitized by Google

ob reliquas virtutes totum corpus humanum, ſub recto, legitimo & modico uſu, confortat, recreat, lætificat. Muſtum vero fortiori preſſura ſub torculari egrediens ſecundarium, vinum dat fermentatione multo vilius, vino paſſo neque ſuavitate in lingua, neque reliquis laudatis viribus adjungendum; plurimum ab iſto quoque pretio diſtat. In collibus vitiferis eximiæ magnitudinis formicas & admodum grandes lacertas cinereas, & partim in dorſo colore viridi pictas, ſoli expoſitas, offendere licuit.

Unico abhinc milliari ſalutavi *Pæſingam*, *Pæſing*, oppidulum & municipium, quod ad maximam partem evangelicæ fidei dogmatibus addictum; templum non habet, cum Romano-Catholici iſtud civibus vi erupuerunt, coguntur ſic frequentare domum precatoriam, **das Bethaus**, Moderenſium, in qua duo homiletæ Germanica lingua & unus Windica ſacra faciunt. Phyſicum habet ordinarium & monaſterium Capucinorum. Locus ob vinum generoſum fama celebratus. Tota regio ab urbe Poſonienſi usque ad hanc plagam vinetis abundat. Cultus vineaticus in terris Poſonienſibus, Trentſchinenſibus, St. Georgii, & præcipue circa loca Beſing & Modern certe præſtantiſſimus eſt. Sileſii & Poloni ſuccum uvarum expreſſum & fermentatum in ſuas deducunt terras.

Ex hoc municipio, unico iterum milliari emenſo, pervenimus *Moderam*, *Modern*, *Medern*, æque oppidulum, & quoque, quod ad majorem partem, a veræ evangelicæ fidei civibus inhabitatum. Hoſpitio hic benevole acceptus a Dom. Hennel, loci pharmacopola, viro civili & integerrimo, in cujus taberna medicamentaria admiratus ſum integrum dentem majorem, albiſſimum, elegan-

Digitized by Google

elegantem & incurvatum, foſſilem & calcinatum elephantinum, Tyrnaviæ ex terræ viſceribus erutum; ſilentio non prætereundum, quod ibi loci non tantum dentes eburnei, ſed & oſſa majora dictæ grandis beſtiæ ſæpe effodiantur, et a ruſticis venalia in circumjacentia oppidula portentur, qui libram quatuor nummis divendunt; interdum aliquot centumpondia iſtius eboris foſſilis proſtant. Vites hujus loci nec non iſtæ, quas viniferi colles St. Georgii editi colunt, ſuaviſſimum ex uvis plorant nectar. Evangelici hic peculiare habent privilegium præ omnibus reliquis totius Hungariæ locis, nam ad res publicas divinas campanis ſignum dant, quod nullibi locorum in univerſo regno iſtis, ubi cum Evangelicis ſimul Romano-Catholici habitant, permiſſum. Domus precatoria, extra mœnia ſita, optima eſt, in Hungaria; hanc unicam tantum ex lapidibus angularibus exſtructam eſſe, reliquas in terris Hungaricis modo ex ligno & aſſeribus contignatas, cives de iſta gloriabantur, ſed & Sempronienſem & Poſonienſem ex lapidibus compoſitas obſervavimus; Miniſtros verbi divini habet duos Germanos & unum Windicum, qui ſermone Slavonico ſacra publica in laudata domo devote adminiſtrat.

Progreſſiu ſumus *Ternaviam*, *Tirnaviam*, *Turnau*, *Tyrnau*, *Tirnau*, oppidum ad fluvium Tirna, ſatis firmum & commodum in planitie, 3. mill. Modera & 6. Poſonio diſtans, ſitum; Germani, Hungari & Sclavi iſtud inhabitant. Suburbia non adſunt, interim pars urbis interior magnitudine & amplitudine Poſonium ſuperat. Verus nidus pontificius (Pfaffen-Neſt) eſt, hinc vulgo *parva Roma* appellatur; plures ſacrificuli, quam alii in iſta numerantur homines. Academiam habet Romano-

Digitized by Google

mano-Catholicam & ordinem Templariorum, qui alias prorſus Anno 1313. per totum orbem a Clemente V. extinctus. Horum ſaltim congregatio tribus tantum terrarum in locis hodie offenditur, nempe Tyrnaviæ, Romæ & Coloniæ Agrippinæ. Veſtimenta ſuperinduunt rubra, in quibus vero non ultra quartam milliaris partem ab urbe ſe removere debent, alias ſtatim proſcripti, Vogelfrey, judicantur, imo illorum trucidatores impune relinquuntur & dimittuntur. conf. Chriſt. Thomaſii diſſert. de Templariorum equitum ordine ſublato. Reſp. Joh. Jac. Stippe 4t. Hal. 1705.

Potentiſſimum Hungariæ Regnum tres academias habet, nempe Tyrnavienſem jam indicatam, Caſſovienſem & Budenſem, omnes ad Romano-Catholicos pertinentes; ſingulæ ex duabus tantum conſtant facultatibus, Theologica nempe & Philoſophica. Hungaris, qui jurisprudentiæ tempus & animum tribuere cogitant, neceſſe eſt frequentare, abſoluto in his dictis academiis curſu philoſophico, Advocatos, qui in terris Hungaricis Procuratores ordinarie ſalutantur, & praxin ab his diſcere, quibus ſervorum & famulorum officia primis annis præſtare coguntur. Qui Æſculapii delubra colere affectant, Germanorum Athenas, inprim. Saxonicas & Belgicas, locos doctrinæ fertiliſſimos, ſalutant; ſi autem Romano-Catholicam fidem habent, utplurim. Viennam Auſtriæ petunt & ibi animum doctrina medica excolunt.

Monaſteria & ſeminaria adſunt 1. Societatis JEſu ſacerdotum, qui optimo non carent typographeo. 2. Jam nominatorum Templariorum. 3. Canonicorum collegii. 4. Franciſcanorum. 5. Trinitariorum. 6. Pau-

linorum. 7. Stephanitarum. 8. Albertinorum & 9. virginum Sanctæ Claræ regulas obſervantium, vulgo Clariſſerinnen.

In hoſpitium & convivium a Domino Doctorando Hennel, viro perindulgente & liberali, hic loci lubenter ductus ſum, in cujus apotheca optimæ notæ in urbis vicinia effoſſum permagnum dentem eburneum, in terræ ſtratis calcinatum albiſſimum, ſub arcu ſuſpenſum, admirati ſumus; ſupra jam innuimus, in hujus urbis oris & partibus ebur foſſile pro uſu medico copioſe eruendum eſſe. Ex odorifero Roremarino, quem incolæ quotannis permultum terræ mandant, & ex ejus oleo pergrato, quod deſtillatione ex foliis & floribus ſalutaris hujus herbæ cephalicæ & nervinæ copioſe extrahunt, magnum habent quæſtum, dum illud circumcirca in plura alia loca, non ſine peculiari lucro, tranſportant.

Urbis inſignia ſunt Rota, in memoriam, quod rotarum faber ſeu carpentarius primam hic loci poſuerit domum; rota dicta, ut res antiqua, non procul a Franciſcanorum cœnobio adhuc hodierno die monſtratur; urbs autem Anno 1244. primordia habuit & ædificata fuit.

Anno 1719. ſub initium menſis Septembr. innumerabilis haud cognitorum, magnorum & alatorum inſectorum, hic in Tab. fig. II. additorum, copia Tyrnaviam vicinosque aggreſſa eſt montes, quæ hortis & campis, horumque oleribus magnum attulit detrimentum, ſed mox iterum evanuit. In his inſectis præcipue notatur proboſcis tenuis ſupra os in ſpiram convoluta, unum

Fig. II.

cum

cum dimidio digitum longa, quam beſtiolæ, acus inſtar prælongæ, in lineam rectam, prout iisdem placitum fuit, protrudere poterant. Aliqualem urbis *Türnaw* deſcriptionem vid. in Matth. Puel Itinerario Thalaſſico p. 28.

Tirnavia duobus milliaribus relicta, oppidulum **Freyſtadt, Freyſtädte** ad fluvium Vagum, **die Waag,** qui delicatis piſcibus & præcipue ſalmonibus, abundat, ſunt & qui perhibent huſones, boni ſucci & multi nutrimenti piſces, in iſta habitare aqua, ſed compertum habemus, iſtos in nominato fluvio non proſtare, niſi interdum unus vel alter de aquis Danubialibus in hunc fluvium deflectat & aberret, convenimus. Adeſt monaſterium Franciſcanorum. Vitium cultura admodum egregia non ſpernenda. In vicinia balneum naturale multis ſalutare. In hoc loco & urbe Debrezin optimus totius Hungariæ panis coquitur. Proverbium Hungaris uſitatum: habemus ædificia nigra & panem albiſſimum.

Ad latus dextrum oppiduli videndum iſtud novum & celeberrimum, imo ex præcipuis Hungaricis munimentis præſtantiſſimum, caſtellum *Leopoldinum*, *Leopoldina*, *Leopoldſtadt*, æque ad fluvium Vagum, in regione uliginoſa & lutulenta in pedamentis alneis, quæ jam in ſaxum mutata dicuntur, ab imperat: Leopoldo exſtructum, muris prælaltis cinctum. Gubernator quidam, cui caſtellum tuendum traditum, cum aliquot militibus in iſto domicilia habent. Anno 1665. hoc caſtellum, in locum deperditi munimenti Neoſolienſis, Neuheüſel, compoſitum, ut ex hoc tranſitus Turcarum per fluvium Vagum inhiberi poſſit, partim etiam ut ſit propugnaculum Fig. I.

lum

lum ad Hungariam, Auſtriam, Moraviam & Sileſiam defendendam & tegendam. Locus & porro ob hanc cauſam præcipue notatu dignus: nam Anno 1673. & ſeqqu. verbi divini & evangelici miniſtri proteſtantes captivi, ferro & compedibus vincti, cum aliis ad conſtruendum Caſtellum ſimul collaborare & materialia ciſiis adducere coacti fuerunt. Munimenta iſtius vid. Fig. I. Vale reliquum feliciter, Vir eruditiſſime, & animatus ſalve. Dabam Wolffenb. d. 25. Sept. 1737.

99. 948283

Digitized by Google

Ad Ep: LXI.




Fig. I.



II.